Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1253

Quelle:
Copyright:



O. P. Theologus *Salmanticae* 1546. vivis exemtus, cujus *Relectiones* XII. teſte *Biblioth. Scriptt. Ord.* T. II. p. 130. impreſſae ſunt *Lugd.* 1557. 8. et alibi. Docet Editio mox memorata, Noſtram praeſentem eo ſenſu *Secundam* dici potuiſſe, quod *Relectionis* I. ſit veluti Pars Altera; initium enim eſt: *In alia Relectione pro anno 1531. diſſeruimus de poteſtate eccleſiaſtica ex parte* &c. Απογραφον noſtrum reticet hunc annum; ad calcem vero habet: *Romę 26. Auguſti. 1566.*

IX. *fol.* 454. *Relectio Magiſtri Victoriæ de Homicidio, habita in die Sancti Barnabæ Apoſtoli.* Addit Editio ſupracit. *An ſcilicet ſit fortis uiri occidere ſe.* Eſt *Relectio* ordine IX. et in *Cod.* ſubſcribitur: *Anno 1567. 8. Aprilis.*

## CCCXXIV.

644 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 58. 4. inſcribitur: *Theoria prima Theologiæ in communi.* Subditur: *Lectio prima Theologica 7a. die Februarij Anno 1605.* Initium: *Methodi quam in tradendis Scientijs humanis obſeruauimus, commoditas et perſpicuitas ſuadet, ut eandem in explicanda Sacra Theologia contemplatrice diuinorum adhibeamus* &c. Magiſtri verba videntur Juveni cuidam Principi ἐγκυκλοπαιδειαν tradentis. Methodus porro tabellaris et admodum concinna eſt, penſis ſive *Lectionibus* diurnis ad marginem notatis. Auto-



res, quibus utitur Noſter, poſt Patres *Pet. Lombardus, Thomas, Scotus, Bannes, Bellarminus, Alph. de Caſtro, Ge. Ederus, Greg. de Valentia* &c. ſunt; ſed non progreditur ultra *Theoriam ſecundam*, quae *Attributorum diuinorum ſeu Dei abſolute* praenotatur. Quid ſi *Chriſtophorum Labbeum* e S. J. *Virdunenſem* dicas, qui *Leopoldum Caroli Styriaci* filium Ep. *Paſſavienſem Graecii* literis humanioribus et Philoſophia a ſe imbutum Theologicis deinceps diſciplinis formandum anno ſupra dicto *Paſſavium* comitatus ibidem a. 1607. occubuit, ſeptennio in inſtituendo hoc Archiduce verſatus, ut docet *Luſtrum IV. et V. Univerſit. Graecenſis* editum *Graecii* 1720. 12. Vide *Cod.* DCLXXVI.

## CCCXXV.

Codex membraneus lat. Sec. 723 XVII. Folior. 17. 4. eleganter ſcriptus, et ſymbolicam Virtutum *Ferdinandi* III. Rom. Imp. Picturam praeferens Theſes ex univerſa Theologia complectitur ſub ejusdem Principis auſpiciis in Academia *Ingolſtadienſi* pro conſequendis Doctoris Inſignibus publicae diſcuſſioni ſubjectas a *Mathia Doll* Caeſari a Sacris, qui eundem in *Praef.* inter alia ita adloquitur: *primum meum Sacrificium in tua aliorumque Magnatum praeſentia biſce Comitiis Deo a me offerri permiſiſti.* Comitia haec a Decembri 1652. ad Majum 1654. *Ratisbonae* tenuere.